



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 10. De fructuum male perceptorum ex Beneficiis Ecclesiasticis
condonatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

Cura, quam sine cura, quatenus tibi alias
Canonicè conferantur recipere, & re-
tinere, fructusque eorum percipere li-
cite possis, & valeas. In nomine Patris,
& Filii, & Spiritus sancti, Amen.

§. IO.

Defructuum male perceptorum ex
Beneficiis Ecclesiasticis con-
datione.

1. Fructus male percipiuntur, vel ob
non recitationem horarum Canonica-
rum, vel ob nullitatem tituli Benefi-
cii. Fructus male perceptos condonat
S. Pœnitentiaria Sacerdotibus pauperi-
bus mediante aliqua eleemosyna, diviti-
bus per compositionem; In utroque ve-
ro casu requiritur, ut obligatio restituen-
di sit occulta, nam in publicis est recur-
rendum ad Datariam.

2. Formula condonationis fructu-
um male perceptorum ob non recita-
tionem Horarum Canoniarum.

Leander &c. Discreto Viro Confessario
Pro parte Latoris præsentium Nobis oblata pe-
titio continebat, quod ipse alias Beneficium Ec-
clesiasticum possidens, Horas Canonicas recitare
omisit, & tamen fructus ex præfato Beneficio sem-
per

per perceptit. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat dictus Lator de præmissa omissione recitationis officii, quæ occulta est, plurimum doleat, fructusque male perceptos ob suam paupertatem restituere nequeat; Ideo pro suæ conscientie quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, & sibi fructus huiusmodi condonari. Quare &c. Nos &c. Discretionis tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione ab omissione recitationis huiusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesie consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis quæ de Jure fuerint injungenda. Demum, dummodo occultum sit Latorem teneri ad huiusmodi fructuum restitutionem, & ei suffragentur digni pœnitentiæ fructus, & merita, & adeo pauper sit, ut nec prout de Jure fructus restituere, nec cum S. Pœnitentiaria componere possit, eidem Latore fructus omnes malè perceptos, mediante aliqua elemosyna, à te arbitrio tuo taxanda & distribuenda in pauperum subventionem, & utilitatem Ecclesie, in qua situm est Beneficium gratiosè remittas, & condones in foro conscientie &c. Alio modo &c. Suffragentur.

3. Præter clausulas in supradictis aliquoties notatas, examinandum est an motivum gratiæ sit verum. Deinde illa clausula: *Et suffragentur ei digni fructus*

Etus pœnitentia, & merita, id est, an per bonos mores vitam emendaverit, & Horas Canonicas notabili tempore juxta obligationem recitaverit. Demum in elemosyna taxanda discretionem adhibeat Confessarius, quæ si non potest esse pecuniaria, sit saltem cibi, aut potus, aut hospitalitatis, aut alicujus subventionis pauperibus, vel Ecclesiæ impendendæ.

4. Forma condonationis fructuum male perceptorum post absolutionem à censuris, & peccatis hæc pronunciat: tur:

Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata fructus, quos ex tuo Beneficio male percepisti, ob non recitatas Horas, mediante elemosyna tibi imposta, gratiose tibi remitto, & condono. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

P A R S VI.

De formulis Absolutionum, & Dispensationum in utroque foro pro Regularibus, & ingredi volentibus Religionem.

Sacra Pœnitentiaria habet facultatem absolvendi Regulares, & volentes ingredi